

multa cum eruditione pietatem, hac in re, quam TIBI
exponendam sumfisti, pertractanda coniunxisse fatea-
tur. Omnem enim doctrinae copiam nisi in pios con-
uertatur usus, auro similem esse iudico, quo impru-
dentes, aut non utuntur, ut custodire diutius queant,
aut in sui perniciem abuti solent. Quis uero prae-
stantior doctrinae humanae usus eo esse poterat, qui
diuinae sapientiae monumentis non peruertendis aut
euertendis, sed explicandis atque confirmandis stabi-
liendisque impenditur. Id, quod omne abs TE mul-
ta cum laude praestitum esse, *Dissertatio TVA*, qua
MARTYRIVM STEPHANI EPANDECTIS HE-
BRAEORVM ILLUSTRATVM dedisti, abunde confir-
mat, quae tanta literarum elegantia commendatur,
quanta pietatis TVAE in literas sanctiores commen-
datione ornatur. Ego certe TVI foecunditatem in-
genii, sermonis ubertatem, et multam in iudicando
prudentiam, non assentatione, qua nihil turpius, sed
TVAE doctrina, hoc in libello demonstrata, metior.
Gratulor itaque TVAM TIBI uirtutem, eaque ut
laetus fruaris, ac praemia capias industriae TVAE
indies maiora, uehementer cupio. Scribebam
VVittebergae die XVIII Iunii
M D C C LVI.